



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Sed an in Beneficiis Conventio de remuneratione qualibet gratuita, seu
obligatione antidorali, hoc est, dandi aliquid ex gratitudine, sive
temporale, sive Spirituale, est vera Simonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

vorem alterius, vel cum reservatioe pensionis, facta sine auctoritate Papæ, ex tit. *ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, & constat ex usu, & praxi Ecclesiæ, & ita declaravit Conc. Rothomag. an. 1581, & Bituric. an. 1584.

Sed an in Beneficiis conventio de remuneratione qualibet gratuita, seu obligatione antidotali, hoc est, dandi aliquid ex gratitudine, sive temporale, sive spirituale, est vera Simonia?

Resp. Aff. tum quia omnis conventio seu pactio in hac materia prohibita est ut Simoniacæ. Tum quia hæc conventio ex se parit novam obligationem fidelitatis, & justitiæ pretio æstimabilem, obligationi gratitudinis superadditam: alioqui frustra fieret, & nunquam exigeretur: unde posita hac pacto, si non detur id, de quo conventum est, alter conqueritur tanquam de injuria sibi facta, & de fide non servata, quod seclusa conventionem non fieret. Proindeque tunc datio non est gratuita, sed onerosa & reciproca, fitque contractus *do, ut des, vel do, ut facias*. Suarez Laym. & alii communiter.

Not. 1. Præbendæ Canonissarum sunt materia Simoniacæ, ut resolvit S. Congregatio Cardin. an. 1691. Nam videntur esse vera Beneficia, licet non Clericalia; sunt enim jus perpetuum, auctoritate Ecclesiæ constitutum, seu approbatum, percipiendi fru-

fructus ex bonis Ecclesiasticis, seu Deo dicatis propter officium spirituale.

Not. 2. Ex extrav. *ambitiosa* non licet locare fructus Beneficii, vel Monasterii ultra triennium. Sed juxta multos hæc restrictio non est in plerisque locis recepta: proinde dicunt posse locari etiam ad tempus vitæ beneficiati. Porro id non fuit prohibitum ob periculum Simonix, sed ne per hujusmodi locationem, seu alienationem noceatur Ecclesiis, & successoribus.

Q. 14. *An est Simonia dare vel procurare Beneficium ratione consanguinitatis?*

Resp. Cum S. Thom. 22. q. 100. a. 5. ad 2. *Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem, est quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen Simoniaca, quia nihil ibi accipitur. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur Simonia.* At Simonia est si conferas, vel procures Beneficium consanguineo, aut affini, ut inde honoratior vel potentior, vel opulentior fias, aut tua familia. Item si Beneficium procures extraneo, ut consulat tuis consanguineis, aut affinibus. Nam tunc datur spirituale intuitu commodi temporalis percipiendi, ita S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. ad 7. ubi ait: *qui dat ratione*

Uto 5

con-